



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput VI. De fide jussione, assecuratione, conductione, locatione,  
Emphyteusi, feudo, pignore, & Hypotheca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## C A P U T . V I .

*De Fide-jussione, Asscuratione, Conduktione, Locatione, Emphyteusi, Feudo, Pignore, & Hypotheca.*

**F**idejussio est, Susceptio obligationis alienæ cum onere eam adimplendi, si à principali debitore non impleatur, sic tamen, ut obligatio principalis debitoris ideo non extinguitur.

P. 1. Quæ requiruntur conditiones, ut fide-jussor aliquid accipiat ratione periculi, cui se exponit? 2. Quòd pro fide-jussione licet aliquid exigatur, communis doctrina est, quia subire periculum, numquam fortè recuperandi, quod loco principalis debitoris solvitur, censemur pretio æstimabile: sed certæ requiruntur conditiones, quarum prima: ut fide-jussor non teneatur plus solvere, quam principalis. 2. Ut principalis verè obligetur, hinc fide-jussio pro solutione usurarum est invalida. 3. Ut fide-jussor non obligetur aliter, quam debitor principalis, nisi se arctius obligārit. 4. Ut fide-jussor non possit conveniri, nisi excusso principali, nisi fide-jussor renuntiaverit beneficio præviæ excussionis.

*Asscuratio est, alieni periculi in se susceptio,* ut si suscipiam onus tibi satisfaciendi pro mercibus navi impositis, si navis pereat: cùm autem talis susceptio sit pretio æstimabilis, pro asscuratione tutò aliquid exigitur.

Q. 3

2. Quæ

2. Quæ conditiones requiruntur ad justitiam hujus contractus?

¶. 1. Ut premium exigatur juxta proportionem periculi, quod creditur subesse, & æstimabilitatem rei, quæ assecuratur. 2. Ut periculum verè subsit, vel probabilitet timeatur: hinc nemo potest aliquid exigere pro assecuratione navis, quæ est in portu. Eadem ex causa assecuratarius curans assecurari navem, quam periisse novit, tenetur ad restitutionem illius, quod ab assecuatoro accepit. 3. Ut, si res pereat, assecuator habeat jus in illam, dummodo satisfaciat assecuratio.

*Locatio est, Contractus, quo res, vel persona conceditur ad usum, vel fructum dato pretio, vel mercede.*

*Conductio est, Contractus, quo res, vel persona accipitur ad usum, vel fructum dato pretio.*

3. Quibus casibus conductor potest expelli?  
¶. 1. Si re conductâ abutatur, ut si ibidem alias meretrices. 2. Si rei conductæ notabiliter noceat. 3. Si domus V. G. necessariò reparari debat, quod fieri non posset, ipso inhabitante. 4. Quando supervenit causa, tempore contractus non prævisa, ob quam inhabitatio ipsi locatori necessaria est. 5. Si conductor per biennium non solverit.

*Emphiteus est, Contractus, quo possessio, & dominium usilerei immobilis, retento directo, transferitur in aliud sub onere reali annua pensionis. Debet autem transferri vel in perpetuum, vel ad tempus non minus deceñio.* Pett-

*Feudum est, Contractus, quo sub onere fidelitatis & obsequii personalis transfertur possessio, & dominium utile rei immobilis, V.G. urbis, agrè &c. retento dominio directo.*

*Hypotheca est, Contractus, quo res immobilis nudà conventione, id est, absque traditione, obligatur creditorì pro debito.*

## CAPUT VII.

## De Emptione, &amp; Venditione.

**C**ommercium Belgarum, tum inter sc, tum cum exteris Nationibus toto Orbe celeberrimum, amplam nobis suppeditat materiam, sed sicut in aliis tractatibus, ita & in hoc celebriores, & in praxi frequentiores tantùm attingemus.

## §. I. Quid Emptio, quid Venditio? &amp;c.

**E**mptio est, Pactio pretii pro merce. Venditio est, Pactio mercis pro pretio. Negotiatio est, Emptio rei, animo eam alienandi cun lucro, quæ licita est, teste S. Aug. scribente in 1. part. Psal. 70. *Si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniqitas mea.*

Premium rerum vendibilium est duplex, aliud legitimum, vulgare aliud. Legitimum est, quod constituitur lege Principis, vel Magistratus. Vulgarē autem, quod commune, & prudenti hominum existimatione taxatur, & vocatur premium fori.

Premium vulgare triplex est, *Summum, Medium, Infimum*. Summum est, ultrà quod ascendit